

areolæ nonnullæ subobscuriores, veluti in figuris adnotauimus, attamen istæ eundem semper faciunt aspectum, neq; intenditur earum opacitas, aut remittitur, sed exiguo admodum discrimine paululum obscuriores modo apparent, modo vero clariores, si magis, aut minus obliqui in eas radii Solares incidant: iunguntur præterea cum proximis macularum partibus, leni quadam copula, confinia miscentes ac confundentes: secus vero in maculis accidit splendidiorem Lunæ superficiem occupantibus, quasi enim abruptæ rupes asperis, & angulatis scopulis consistat, umbrarum, luminumq; rudibus discriminibus ad lineam determinantur. Spectantur insuper in trajectu magnas maculas areolæ quædam aliæ clariotes, imo nonnullæ lucidissimæ: verum & harum, & obscuriorum idem semper est aspectus, nulla, aut figurarum, aut lucis, aut opacitatis mutatio, adeo ut compertum, indubitatumq; sit, apparere illas ob veram partium dissimilaritatem, non autem ob inæqualitates tantum in figuris earundem partium, umbras ex variis Solis illuminationibus diuersimode mouentibus, quod bene contingit de maculis aliis minoribus clariorem Lunæ partem occupantibus, indies n. permutantur, augentur, imminuuntur, abolentur, quippe quæ ab umbris tantum eminentiarum ortum ducunt.

Verum magna hic dubitatione complures affici sentio, adeoque graui difficultate occupari, ut iam explicatam, & tot apparentiis confirmatam conclusionem indubium reuocare cogantur. *Si n. pars illa Lunaris superficie, quæ splendidius Solares radios retorquet, an fractibus, tumoribus scilicet lacunis innumeris est repleta, cur in crescenti Luna extrema circumferentia, quæ occasum versus spectat, in decrescenti vero altera semicircumferentia orientali.*